DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

INJURIIS FORTUITIS

SANGUINIS DETRACTIONE ORTIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

INJURIIS FORTUITIS

SANGUINIS DETRACTIONE ORTIS:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS PAYE,

Hibernus;

LEGIONIS MILITIÆ COMITATUS CORCAGIENSIS SEPTENTRIONALIS CHIRURGUS.

O Medici mediam pertundite venam.—JUVENAL.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES MOIR.

MDCCCXXVI.

JOANNI O'NEIL, M. D.

REG. COLL. CHIR. LOND. SOCIO,

VIRO

INGENII DOTIBUS, ANIMOQUE HAUD MINUS

LIBERO QUAM LIBERALI,

INSIGNI ;

ET MIHI IMPRIMIS AMICO CUJUS

IN ME BENEFICIA CERTE REMUNERARE NEQUEO,

SED SALTEM OBLIVISCI NOLO,

HANC DISSERTATIONEM,

AMICITIAE PIGNUS,

DEDICO.

DISSERTATIO INAUGURALIS,

DE

INJURIIS FORTUITIS

SANGUINIS DETRACTIONE ORTIS.

THOMA PAYE, AUCTORE.

Ex HISTORIA medicinae constat, sanguinis detractionem per multa secula ad morbos sanandos in conditionibus atque constitutionibus corporis humani diversis adhibitam esse, plurimaque instrumenta atque rationes ad eum humorem emittendum a peritis pariter ac imperitis hominibus usurpata fuisse. Nil mirum igitur esse potest si casus multi vitae periculum inferentes acciderint.

Ex his, aliae causis casu accidentibus veluti cursui nervorum vasorumque sanguiferorum abnormi referendae sunt, aliae ex habitu quo-

vis corporis morboso aut nimium irritabili oriuntur. Aliae porro a quodam aëris atmospherici statu ignoto, uti putatur, ortum suum detrahunt, at multae nimis saepe negligentiae detrahentis aut ignorantiae anatomiae originem debent.

Sanguinis detractionis duo genera sunt, alterum scilicet generale, alterum locale. Vasa, ad detractionem generalem accommodata, sunt venae brachii, colli, pedis et tali; arteriae, ramuli temporalis et occipitalis; arteria radialis nonnunquam aperta est et beneficio in iis exemplis acutis phlegmasiarum cerebri, ventriculi etc. quae vires circuitum sanguinis sustinentes cito exhauriunt et in quibus eodem tempore vasa, quae cuti summae adjacent, et tutius incidi potuissent amplitudine imminuta vel fere obliterata sint, detractio localis per hirudines, scalpellum et scarificatorem sive cucurbitulas cruentas fit.

Hae pericula sibi propria habent, at in tractatu praesenti ad effectus molestos sanguinem ad flexuram brachii detrahendi praecipue respicere statui, quia scilicet venae ejus saepissi-

me aperiuntur et ob commeatum suum cum nervis, arteriis, absorbentibus, vasis, fasciis etc. sequelas infestissimas edunt.

Sequentia sunt incommoda ex sanguinis detractione orientia quae praecipue notanda sunt, et de quibus ordine suo tractare mihi in animo est; syncope scilicet, epilepsia, thrombus, inflammatio vasorum absorbentium, phlegmon, inflammatio diffusa, inflammatio nervi, inflammatio venae, vulnus arteriae et ejus sequelae.

Ex his de syncope primo agam. Hic sanguinis missi creberrimus effectus et profecto saepe admodum optabilis est, ideoquè eam hic proponere inter incommoda vix necesse foret nisi aliquando etsi raro in mortem rectâ et inopinate desierit. Si cor defectum stimuli sui naturalis tam subitum aut tantum patiatur, ut sanguinem ad cerebrum vi et velocitate idoneis propellere nequeat, vires cerebri propriae haud sustinentur, actiones ejus ideo impediuntur, quoniam musculi respirationi inservientes defectu vis nervosae afficiuntur, actiones pulmonum ita interpellantur, quum

respiratio ad actionem cordis superstitem praestandam necessaria sit, nisi pulmonum functio cito redintegretur, mors inevitabilis evadit; ad hunc exitum impediendum aeger recumbere debet, stimulantia naribus et faciei etc. admota proderunt. Si haec remedia non cito bene cedunt, rationes diversae vitam suspensam reficiendi sedulo adhiberi et ad pulmones praecipue dirigi debent. Syncope saepe epilepsiam sive convulsiones inducit.

DE THROMBO.

Siquando sectio integumentorum aperturae venae parum respondet, sanguis in texturam cellulosam vas apertum cingentem injicitur, tumoremque durum et rotundum, qualis cursum humoris vitalis impediat, efficit. Ligatura statim a brachio tollenda est quoniam copia magna sanguinis injecta, nisi brevi absorbeatur, aliquantum inflammationis ciere potest.

Absorptio plerumque quiete, lotionibus frigidis et discutientibus, quales muriatem am-

moniae, acetum spiritusque continent, cum pressura modice stricta perficietur.

DE VASIS ABSORBENTIBUS INFLAMMATIS.

Si in sanguinis missione scalpellum lacerat, vel quodvis morbificum vehit, vel si plaga postea quomodocunque irritatur, pars affecta inflammatur et in suppurationem irruit; dolores emicantes sursum ad axillam et deorsum per antibrachium ad digitos usque tendunt, tumores mole diversa in antibrachio super musculos flexores in brachio prope musculum bicipitem et in axilla formantur. Chordas duras et dolentes a plagâ inflammata ad tumores istos (qui nonnunquam suppuratione corripiuntur) persequi possumus. Interdum tumefactio brachii generalis cum febre saeva symptomatica subsequitur, abscessus per cursum absorbentium fiunt, hi postquam inflammatio desinit duri et densati perstant. Inflammatio vasorum istorum cum vitiis aliis postea depingendis aliquando complicatur.

DE INFLAMMATIONE.

Haec circumscripta vel diffusa esse potest, prior sive phlegmon quando gravis est, febrem typi inflammatorii, posterior sive inflammatio diffusa ut nuper appellatur, in aliquo decursûs sui tempore febrem propriam generis typhodei excitat.

DE PHLEGMONE.

Hujus phlegmonis forma gravissima a vulnere fasciam sub venâ penetrante pendet, tela cellulosa sub fascia saepe gravissima inflammatione plectitur atque febrem saevam arcessit, brachium tensum fit, plurimum tumet, et oedemate afficitur. Cutis circa plagam inflammatur at mitius, dolor gravis pulsans per brachium ad humerum emicat, tensio adest magna brachii atque antibrachii, pressura levis partes profundiores afficiens dolorem summum affert, qui porro extensione antibrachii motuve digitorum augetur; febris vehementer

ardet cum cute calidâ linguaque crusta obducta: si haec symptomata curationi promptae locali pariter atque generali haud succumbunt, tumefactio et oedema cum tensione magna brachii augescunt. Febris delirium inducens ingravescit, actio spasmodica digitorum et musculorum antibrachii subit. Pus sub fascia cohibitum haec indicia gravia facessit; sin fascia non dissecatur, pus ad superficiem (ubi fascia tenuissima est) tendit, pure ejecto febris cessat, at saepe brachium multum, et aliquando semper contractum manet neque venae neque absorbentia in hoc vitio inflammantur. Signa super posita a quibusdam vulneri tendinis musculi biscipitis ab aliis inflammationi fasciae ipsius relata sunt. Hae autem texturae actionem inflammatoriam lente omnino suscipiunt, gravitatem signorum in exemplis talibus a pure sub fascia haud cedente cohibito oriri multo verisimilius videtur.

DE INFLAMMATIONE DIFFUSA.

Nulla ratio idonea adhuc prolata est, cur haec affectio telae cellulosae propria ad ser-

pendum adeo proclivis sit; huic proclivitati periculum ejus summum debetur.

Proclivitas ejus ad diffusionem gravitati inflammationis adeo intensae scilicet ut lymphae effusioni obstaret, relata est; haec autem sententia minus verisimilis redditur, (lymphâ in paronychia aliisque inflammationibus pariter vel etiam magis adhuc intensis effusâ) illam quinetiam Dr Duncan, jun. cuidam conditioni aëris communis ignotae tribuit, qualis nimirum systema nervosum et vasculare sub eum gradum deprimat qui lymphae effusioni faveat, eique ejusdem statui similis qui morbos quosdam indole epidemica induit; hoc verisimilius videtur si in memoriam revocamus hoc vitium quodammodo epidemice invadere et porro eo valente, febrem typhoideam atque erysipelas increbescere. Sed haec opinio sufficere non videtur, si meminerimus malum istud sanos omnino et vigentes invadere, febrem ad initium saltem haud parum typhi synochae habere; affectionem quoque localem multum spectare ad formam phlegmonoideam; praeterea neque coeli temperiem neque valetudinis con-

ditionem in eo inducendo quicquam valere apparet. Etiamsi causa praedisponens nondum plane comperta est, effectus tamen ejus vitii a causis excitantibus diversis, ratioque medendi a Doctore DUNCAN, juniore, egregie monstrata sunt. Indicia ejus formidanda et exitialia ille pulchre depinxit, similitudinemque ejus isti affectioni lethali quae oritur ex vulneribus in corpore humano aliave materia animali recèns mortua dissecanda illatis, comprobavit. Siquando haec inflammatio diffusa velociter serpit, statim febrem typhoideam excitat, quae maximam musculorum debilitatem animique depressionem comites habet et cito ad summum vehementiae pervehitur. Haec lente ad resolutionem aut suppurationem pergit, in nonnullis exemplis gradu veloci diffunditur.

Ubi vulnus a scalpello causa excitans est, nonnunquam sanescit, aliquando rursus se aperit humoremque saniosum effundit. Post dies aliquot dolor brachium corripit atque ad humerum axillamque emicat, adsunt nausea u t vomitus, sensus frigoris animique depres-

sio, vulnus jam dolere incipit. Tumor haud definitus sese per brachium et antibrachium ad axillam versus diffundit.

In planum sine acumine ullo elevatur, tactui laevis est et aequalis, sensumque quasi resilientem vel uti Dr Duncan, jun. graphice vernaculo sermone designat (*boggy*) praebet, brachium (cutis colore nil mutato,) magis tumescit et tactum aut motum acerrime dolet. Tumor et teneritudo ad pectus et retrorsum spinam versus patent, quoniam febris pro ratione affectionis localis provectae semper ingravescit, pulsus primo frequens et plenus, frequentior adhuc sed exilis debilisque evadit, cutis haud insigniter calet, lingua foeda est, inquietudo, nisus ad vomitum vomitusque ipse urgere queant, debilitas magna adest, vultus anxietatem monstrat; hoc tempore maculae rubrae et vesicationes basi livida instructae in partibus brachii diversis jam sese produnt; dolor nunc multum inspiratione augetur; pulsus acer est et frequens; singultus importunus urget; respiratio tarda fit atque laboriose peragitur; sudores frigidi erumpunt; delirium fugax

instat ; partes extremae frigentes, pulsusque intermittens magnaque virium prostratio mortem praenunciant. Haec est adumbratio inflammationis diffusae generis gravissimi, quod vero gravitatem signorum atque diuturnitatem attinet multum variat, per hebdomadas aliquot durare, aegrumve post dies paucos interimere potest.

TERMINATIONES.

In exemplis levioribus vel ubi curatio tempestiva et prompta adhibita est, resolutio fortasse accidere queat, sed morbus suppuratione fere semper desinit: haec plerumque late patet, interdum a lymphâ coagulabili effusa compescitur, accumulationes puris in axilla, in telâ cellulosa pectoris et nonnunquam sub musculis pectoralibus formantur. Tela cellulosa in exemplis gravioribus deperditur, sed aliquando reficitur, partesque (quae contractae fuerant) mobilitatem suam naturalem recipiunt; inflammatio ad pleuram pulmonesque serpere

cognita est, et pus extra pectus formatum per bronchia exscreatum fuit, aërque ex pulmonibus locum ejus occupans tumores emphysematosos formavit.

INFLAMMATIONIS DIFFUSAE PATHOLOGIA.

Tela cellulosa primo tantummodo oedematosa est: serum effusum fluidum limpidum aut rubore tinctum est, et (texturâ divisâ) facile effluit. Vitio progrediente textura cellulosa materia albida semifluidâ refercitur, quae non effluit, deinde magis opaca et subalba, subrubra aut subviridis evadit, denique materia purulenta formatur, sed cellulis discretis continetur; telae cellulosae structura organica perditur et mortua fit. Puris accumulationes magnae fiunt, in quibus tela cellulosa demortua, stuppae madefactae vel corio haedino (Anglice, *chamois leather*) similis jacet, glandulae et lymphaticae raro implicantur, sed aliquando glandulas afficit, quae in suppuratione desinit. Exemplis gravioribus

textura musculosa conficitur et mortua fit. In stadio provecto ubi cutis ob effusionem valde intenta est, inflammatur, sed texturae cellulosae imo etiam musculosae, sine ullâ cutis inflammatione, morbus lethalis subesse queat. In exemplis diuturnis ossa carie affecta inventa sunt.

DIAGNOSIS.

Phlegmon merus ab hac inflammatione diffusâ, tumore initio duro et, quando superficiem adjacet, circumscripto, postea mollito quinetiam acuminato et rubente et, quando fasciae subjacet, dolore saevo pulsante febre inflammatoriâ atque dolore ad superficiem minore, dignoscitur.

Ab erysipelate discrepat, quia nulla cutis inflammatio adest, sensum quendam proprium resilientem et quasi paludosum praebet, semper in suppurationem desinit, quia denique sese in axilla lateris affecti concentrare proclivis est.

Ab inflammatione venae notis sequentibus internoscitur, vena inflammata chordae similis sub integumentis jacet, dolor pressurâ excitatus ad ejus cursum cohibetur, doloris minus membro moto sentitur, neque respiratio in venae inflammatione adeo afficitur nisi quando affectiones istae conjunguntur ubi diagnosin certam instituere difficillimum est.

Ab inflammatione absorbentium ita discernitur; haec vasa veluti chordae durae inflammatae et dolentes tactu percipiuntur, plerumque in tumores inflammatos qui mature conspiciuntur desinentes, febris levior absorbentium inflammationem comitatur, generisque inflammatorii est, nisi quum affectiones ambae conjungantur.

A febre typhoidea distat, quia febris ejus etiamsi isti similis tamen symptomatica est, quia semper, quod ad vehementiam attinet, affectioni locali respondens, hâc exacerbatâ, ingravescit, sed, mitiore factâ, mitescit, cerebrum quoque minus quam in typho patitur, historia demum morbi diagnosin adjuvabit.

Prognosis fausta est sicubi febris indo-

lem minus typhoideam quam inflammatoriam habet, quando inflammatio non ad pectus aut axillam serpsit, itemque ubi abscessus distincti formantur.

MEDENDI RATIO.

ABSORBENTIBUS inflammatis atque generi inflammationis priori telae cellulosae antiphlogistica est; curatio autem inflammationis diffusae saepe mixta est et rationes stimulantem et antiphlogisticam complectitur.

Curatio absorbentium inflammatorum, pro gradu inflammationis localis febrisque ardentis, regenda est; regimen antiphlogisticum fere semper necessarium fiet, sed quoniam vasa absorbentia aliquando inflammatione diffusâ quoque implicantur, curatio pro gradu vitii posterioris variabit.

INFLAMMATIONIS PHLEGMONOSÆ CURATIO.

IN exemplis hujus inflammationis venaesectionem secutae lenioribus atque superficiem

afficientibus, nil aut parum febris comitatur, quies et lotiones frigidae saturninae solae postulantur. In forma autem gravi et profunde sita febris vehementer ardet et saepe delirium arcessit, quoniam haec praecipue tensione fasciae super pus et membranam cellulosam inflammatam sustinetur, ad tensionem minuendam et pus, si sub fascia formatur, evacuandum, fasciam late et quamprimum dividi oportet. Benjamin Bell incisionem in fascia per aliquot pollices patentem ab interiore condylo per antibrachium faciendam suadet, alii vero fasciam (ubi a tendine bicipitis abit) dividi jubent, fascia in aliquot partibus praesertim dependentibus incidi debet, et accumulationes novae puris incisiones repetitas postulant: ad excitationem generalem subigendam sanguinis missio pro vehementia affectionis et aegri constitutione usurpanda est; detractio sanguinis localis, cataplasmata, fomenta, etc. partibus antibrachii diversis admovenda, proderunt.

INFLAMMATIONIS DIFFUSÆ CURATIO.

QUONIAM symptomata signaque localia hujus vitii membranam cellulosam occupantis semper eadem sunt et gradu tantum secundum causam excitantem constitutionesque diversas discrepant, ad febrem de qua hic agitur, illustrandam, quasdam sententias Doctoris DUNCAN, junioris, quanquam morbum orientem ab infectione in necrotomia contracta elucidare ab eo prolatas, citare liceat. "The debility," inquit ille, "is often the con-"sequence of preceding excitement; but in "the worst cases, no symptom of excitement "precedes the debility,—the cause, whatever "it may be, operating as a direct sedative, re-"ducing the powers, and rendering them in-"capable of reaction; but if the patient live "long enough, the debility is succeeded by "true exhaustion. There appears to be in "this affection an intense and long cold stage, "which carries off the patient before reaction

"takes place; therefore, in those cases which "begin with extreme debility, on the same "principles with which malignant intermit- "tents are treated, we should administer dif- "fusible stimuli until reaction commences, "and then the antiphlogistic treatment should "be vigorously enforced."

Curatio generalis et localis est; ambae in hoc malo fere paris momenti sunt: consilium maxime optabile est diffusionem inflammationis (effusione lymphae inductâ) compescere, quae quidem istam proclivitatem cohibet. Si aeger validus est morbusque tantummodo membrum corripuit, sanguinis detractio generalis pro vehementia indiciorum repetenda et medicamenta aperientia cum antimonialibus ad excitationem febrilem subigendam usurpari debent. Si vitium ad axillam partesque adjacentes serpserit, resolutio vix sperari potest: depletio igitur proclivitatem ejus insigniter pertinacem ad suppurationem morabitur quidem, sed nequaquam penitus prohibebit, neque ideo tentanda est nisi febris indole admodum ardente instruatur. Fomenta

et cataplasmata, quam calidissima tolerari possunt, jam admovenda sunt, et si proclivitatem ad diffusionem velocem prodit, incisiones profundae in partibus telae cellulosae diversis fieri debent quamvis etiam pus nondum formatum sit. Inflammatio incisionibus orta depositionem lymphae ciebit et serum effluens adjuvabit, vesicatoria humero laterique thoracis admota eundem effectum felicem praestant. Argenti nitras, potassa ferrumque candens ad idem consilium peragendum usitata fuere, ligatura circa artum affectum pro tempore imposita cum beneficio admota est. Ubi magna mobilitas, corporis totius inquietudo, pervigiliumque morbosum adsunt, opium cum antimonialibus aut vinum ipecacuanhae, (diaetâ refrigerante et nutriente concessâ) proderunt. Quando suppuratio accessit quae in exemplis nonnullis tarda erit, vires vino, cerevisiâ forti ciboque concoctu facili (quantus sumi potest) sustinendae sunt. Dr Duncan curationes depletoriam et stimulantem simul adhibitas minime adversari censet, quippe quia indicia exhausti oniscum inflammatione ardenti adsunt:

ad conditionem priorem medendam, vinum, opium et ejusmodi remedia, ad posteriorem sanguinis missio accommodata sunt. Rationes utraeque et seorsim et conjunctim adhibitae fuere, sed nimis saepe utcunque variatae spem prorsus fefellerunt. Detractionem sanguinis ad initium vel ante suppurationem factam penitus necessariam esse inter omnes constat, et in stadio priori remedia frigida parti affectae admota plurimum prosunt.

DE AFFECTIONIBUS A NERVIS VULNERATIS ORTIS.

Quae a vulneribus lenibus veluti in venaesectione oriuntur plerumque mobilitatis magnae cerebri nervorumque tantummodo symptomaticae existunt, in feminis quam viris saepius accidere solent. Haec cerebri nervorumque irritabilitas magna quovis tempore vitae et causis diversis excitari potest, hujusmodi causae sunt, nimia eorum virium exercitatio, pathemata mentis, intemperantia ; nonnulli ta-

lem conditionem irritabilem a parentibus maniâ aliisve generis nervosi morbis effectis adepti esse videntur. Nervum in venaesectione laesum esse concludere liceat, si dolor acutus eo tempore statim sensus est, si dolores per cursum nervi emicant, si partes, quibus impenditur, torpent. Signa subsequentia et diuturnitate et gradu variant: quidam parum inflammationis sed multum doloris nervosaeque irritationis habent, primo vulnus aliquantum inflammari solet, tumefactio brachii generalis saepe supervenit, actiones musculorum spasmodicae vel partis cujusvis vel generales, convulsiones etiam, affectiones tetanicae cum aliis generis nervosi conditionibus morbosis accidere possunt. Vulnus fortasse sanescat atque tamen haec vitia per menses vel vitam ipsam perstent, facile per intervalla excitanda et in constitutionibus admodum mobilibus coma et mentis alienationem cum impetu sanguinis vehementi caput versus cerebri laesionem minitante, inductura. Nervus vel ex parte vel ex toto secari vel tantummodo pungi potest.

CURATIO.

Junctionem vulneris statim et perfecte factam incommodis secuturis obstare semper constitit ideoque nervo laeso usque cura summa tentanda est, aliter enim inflammatio filamentorum nervi verisimiliter accedet, eo magis si vulnus irritetur, aegerque proclivitatem supra memoratam habeat. Inflammatione et febre supervenientibus regimen antiphlogisticum sedulo instituere oportebit, affectionibus saevis spasmodicis accedentibus. Monro incisionem paulo supra vulnus propter inflammationis limites incertas ad nervum dividendum fieri suasit, vesicatorium brachio appositum vel unguenta irritantia, ususque pro tempore tournequeti spem levaminis polliceri videntur, ubi porro medicamentis purgantibus et antispasmodicis adjuvantur. Si postquam sanescit vulnus haec indicia gravia nihilominus perstant, si quoque cura idonea functioni ciborum concoctionis adhibita est, si vesicatoria, linimenta irritantia et galvanismus nil prosint, partem nervi quoque

tollere conari necesse erit, si exploratione accurate instituta, aberratio a statu partis naturali detegi potest. Si constitutio multum laboret neque remedia supradicta levamen afferant, operatio, si omnino fieri potest, peragi debet.

DE VENÆ INFLAMMATIONE.

Hæc interdum per tunicam internam vasis in truncum praecipuum venosum etiamque ad membranam cordis serpit, effusionem lymphae coagulabilis inducere potest, aut pus per abscessus discretos secernitur, aut cum massa sanguinis commiscetur. Quando inflammatio minor est, ejus symptomata indicia inflammationis localis communis referunt, quando vero major est purisque secretionem ciet, febris typi typhoidei (quae febri inflammationis diffusae similis est) excitatur. Vulnus saepe sanescit, at post diem unum vel alterum dolor et tumefactio per cursum venae patent, cutis supra jacens ruberrima fit et vehementer dolet, febris jam saeviter ardet, pulsus frequens evadit et debilis. Cutis aret, lingua foeda est,

tumores dolentes denique supra claviculam et sub angulo maxillae ob morbum ad venas jugulares serpentem sese produnt, vasa capitis nimis onerata fiunt, delirium et mors subeunt. Sectione cadaveris factâ, venae densatae saepe in multis partibus obliteratae reperiuntur, venae brachii, antibrachii et subclavianae lympha vel pure obductae, venae jugulares internae pariter atque externae fabricam arteriosam referentes, nonnunquam pure repletae, vasa capitis turgida, abscessusque aliquando in pulmonibus formati inveniuntur.

RATIO MEDENDI.

Quoniam haec indicia ab inflammatione acuta tunicae interioris venae pendent, regimen antiphlogisticum quam maxima cura servatum ad puris formationem prohibendam necessarium erit, Hunter et Abernethy compressionem venae supra vulnus ad inflammationem adhaesivam suscitandam suadent, si tamen pus formetur, venam cordi propius bipartiri plus beneficii afferat.

DE ARTERIIS VULNERATIS.

Arteria humeralis aut ulnaris in venaesectione dividi potest adeo ut haemorrhagia ingens vel, si negligatur, affectiones aneurismales inducantur : ubi casus tales accidunt, ligaturae et sub et supra vulnus propter anastomoses imponendae sunt. Aneurismatis duo genera sunt, aneurisma scilicet spurium, varixque aneurismalis, quae cum altero comparata raro occurrit, prius pressura interdum curatum est. Sed arteriam supra tumorem ligare ratio tutissima est. Quoniam varix aneurismalis et aneurisma varicosum plerumque innoxia manent, operatione haud opus est nisi quum tumor dirumpitur, re tamen ita se habente, arteria et sub et supra affectionem liganda est. Pressura vel canalem arteriae vulneratae vel tubum venae per inflammationem adhaesivam perficere queat.

Affectiones antea descriptae operationes in aliis quoque venis et arteriis ad sanguinem detrahendum institutas subsequi et eadem indicia monstrare possunt.

FINIS.